



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCCXLVI. De eodem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

essent: Paruit Princeps Pontifici è superum; ut putabat, mente, legi-  
timè consilium expedienti.. Cæmoniis omnibus ritè perfolutis,  
arci locum designat, montis editi caput, in quo urum nuper occi-  
derat; Aream Sventorohā nuncupatam, quam ad radicem ejus  
montis Vilna fluvius flexuoso sinu ambit, aggeribus, palis ac lorica  
permuniri jubet, reliquum spaci urbanis ædificiis relinquitur; &  
hæc de Origine Urbanis Vilnæ Kojalovvicz part. I. Lib. VII. p.  
262. seq:

(2) Oher legit Stryikovvski.

## CAP. CCCXLV.

*De*

### Morte XLV. Lethowinorum.

**F**Odem anno & tempore quidam de Episcopatu Warmiensi  
dictus Muko cum XIX. latrunculis vadens versus Lethovvi-  
am, invenit XLV. equites Lethovvinos in solitudine, & subili-  
ter circumveniens eos omnes interfecit.

## CAP. CCCXLVI.

*De eodem.*

**I**Dem Muko tempore alio cum paucis latrunculis exiit contra  
infideles, & dum venisset in solitudinem, vidi plures equites  
de Lethovvia, & expavescens illorum multitudinem & poten-  
tiam, rejecit de humeris suis cibum & potum, & quicquid eum  
poterat gravare, & cum sociis suis fugit & evasit. Quo facto  
idem Muko turbatus post multa consilia dixit ad socios suos;  
Oportet nos mori fame, quia cibum non habemus. Consulo  
ergo ut moriamur honestè. Sequamur hostes nostros & videa-  
mus si possimus aliquid proficere contra ipsos, quod cum pla-  
cuisset omnibus, accesserunt secretè noctis tempore, & omnes  
occisi



occiderunt, eorumarma, equos & quæcunque alia secum deducentes.

## CAP. CCCXLVII.

*De*  
Fratre Wernerō Magistro Generali &  
terra Pruschia.

Frater Wernerus de Orsele Magister Generalis XIV. terræ  
Pruschiæ XX. hoc anno scil. MCCCXXIV. sexta die Mensis  
Julii in domo principali Mergenburg est clectus & præfuit an-

nis (\*).  
(\*) Reliqua Dusburgius omisit data opera, cum adhuc Magister ille  
esset in vivis supplici itaque poslunt hæc ex aliis. Dicitur au-  
tem Wernerus hic præfuisse sex annis. Occisus est à fratre Jo-  
anne à Bindorff, Marcæburgi ante templum in vigilia S. Elisa-  
bethæ cum à vespera domum rediret, sepultus est in Marien-  
vverder in Ecclesia Cathedrali. *Vid. Continuator Dusburgensis*  
*cap. XX.*

## CAP. CCCXLVIII.

*De*,

Impugnatione Castrī Christmemelæ.

Hujus tempore eodem mense Julii CCCC. Lethovvini oc-  
cultè venientes, volebant Castrum Christmemelam expu-  
gnare : sed fratres præmuniti per quendam pescatorem, parati  
in armis dum ad pugnam accederent, in ortu diei plures vulne-  
raverunt ictibus & sagittis, & quendam virum nobilem occide-  
runt, quem dum Lethovini deportare vellent, Fratres per cre-  
bra jacula defenderunt. Tandem provocati in iram omnes con-  
venerunt, quidam ipsum mortuum cum brachiis, alii cum pe-  
dibus, reliqui cum capite rapientes, violenter deportaverunt;

Eee 2

sed

